

*Iosue temporibus, sive posterioris poetæ fuerit, tum etiam carmen Davidis.* Omnes adducti interpretes in eo conveniunt, librum Recti fuisse carmen, de quo nos Samuelis liber dubitare non sinit. Si vero observamus accuratius, quæ ex supra dictis probe patere queunt, librum Recti denotare enarrationem vel panegyricum de aliquo recto in funere recitatum, necesse non est, ut unum librum supponamus, in quo Josuæ & Davidis laudes sunt celebratæ. Existimamus potius sufficientibus rationibus ducti, alium Josuæ & alium Saulis fuisse librum, prout olim in cujusvis herois obitum epicedium est conscriptum. Nec dubitamus olim plures fuisse rectorum libros vel epicedia, quæ omnia perierunt, exceptis exiguis fragmentis in duobus Codicis Hebræi locis conservatis. Sed perierunt eadem absque ullò Canonis sacri detrimento, in quem nunquam fuerunt recepta. Tandem & illud observandum, quod fragmenta de libris Rectorum duo, evidenter doceant, Josuæ historiam ut & 2. Sam. librum ea ætate esse scriptum, qua epicedia Josuæ & Saulis profuerunt, ea vero Esdræ ætatem tulisse merito dubitatur.

F I N I S.



*Coll. diss. A. 1, mise. 16*